

The Electronic *Compendium moralium notabilium* Project
(<http://web.wlu.ca/history/cnighman/CMN/index.html>)

Compendium moralium notabilium (from *Epytoma sapientie*, Venice, 1505)

Pars 4, Liber 4: De delectationibus: et delectabilibus et pertinentibus ad ea

De delectatione: Rubrica i

Salomon in prouerbiis capitulo 13. Spes que differtur affligit animam. Desiderium si compleatur delectat animam. 15. capitulo. Lux oculorum letificat animam. Fama bona impinguat ossa. Idem in ecclesiastice capitulo 11. Dulce lumen et delectabile est oculis videre solem.

Commented [CN1]: fol.104ra

Aristoteles rethoricorum libro i. capitulo 9. Dicendum est delectationem bonam esse: omnia enim animalia appetunt ipsam naturam. 11. capitulo. Delectationem omnia persequuntur: et gratia ipsius delectari appetunt. 19. capitulo. Sunt autem assuetum et consuetum inter delectabilia. multa enim et eorum que natura non sunt delectabilia et assuefacta fuerint delectabiliter fiunt. Quecunque propter se agunt omnia sunt: aut bona: aut delectabilia: aut apparentia delectabilia. 20. capitulo. Concupiscentia est delectabilis appetitus. Delectari est in pati sensum alicuius passionis. Necessae est omnia delectabilia esse: aut in sentiendo presentia: aut in memorando facta: aut in sperando futura. Delectabile est saluatum reminisci laborum: et post angustias delectatur vir memorans qui multa passus fuerit: et qui multa gesserit. Quecunque presentia letificant et sperantes et memorantes: vt in pluribus: propter quod et irasci delectabile. nullum enim irascitur ei qui videtur impotens cruciatum sortiri: neque his qui multum supersunt potentia: aut si irascatur mitius. In ploratibus et in lamentationibus inest quedam delectatio. Punire delectabile est. Uincere delectabile est. Diligere delectabile est. Diligi delectabile est. In admiratione esse delectabile est propter ipsum honorari. Adulationem recipere et adulator delectabile est. apparens enim admirator est. Quod consuetum est delectabile est. Addiscere et imitari delectabile est: vt ad multum. Imitari quidem enim est concupiscere addiscere. Quare mutabile est concupiscibile. addiscere autem est in id quod secundum naturam constitui. Benefacere et bene pati delectabile est. bene pati quidem enim est adipisci eorum que concupiscunt. Quod secundum naturam est delectabile est. Omnia que eiusdem generis secundum naturam inuicem sunt cognata et similia delectabilia sunt: vt in pluribus: vtputa homo homini: et equus equo: et iuuenis inuueni. Omne simile et cognatum delectabile est sibi. Principari delectabilissimum est. Uideri sapientem esse delectabile est. Ludus delectabilium est. Omnis remissio risus delectabilium est. Necessae est risibilia delectabilia esse: et homines: et verba: et opera. Libro 2. capitulo 4. Causa delectationis contumeliantibus est: quia putant quod ipsi male agentes excedant magis: propter quod et iuuenes et diuites contumeliosi sunt. excedere enim putant contumelias inferentes. Libro 3. capitulo 3. Delectabile est quod mirabile est. 9. capitulo. Indelectabile est et noscibile quod infinitum est. 11. capitulo. Addiscere quod facile delectabile natura omnibus est. Idem ethicorum libro i. capitulo 4. Delectari quidem animalium. Multis quidem delectabilia aduersantur ad inuicem: quia non naturalia sunt. Libro 2. capitulo 2. Bonum et conferens delectabile videtur. Libro 3. capitulo 4. Difficilius est tristitiam substinere quam a delectationibus abstinere. Libro 7. capitulo 13. Non contingit esse optimum delectatione. Omnis delectatio generatio est in naturam sensibilis. Non optimum est delectatio: quoniam non

Commented [CN2]: fol.104rb

finis: sed generatio est. 14. capitulo. Optimum autem nihil prohibet delectationem aliquam esse. 15. capitulo et finali. Expellit delectatio tristitiam. Delectatio magis est in quiete quam in motu. transmutatio autem omnium dulcissimum secundum poetam propter malitiam quamdam: quemadmodum enim homo facile transmutabilis malus: et natura que indiget transmutatione. Libro 8. capitulo 4. Natura videtur triste fugere. appetere autem delectabile. Sine operatione non fit delectatio. Coauget operationem propria delectatio. Magis singula iudicant et cercius exquirunt cum delectatione operantes. Propria delectatio confirmat operationes: et diuturniores et meliores facit. Idem magnorum moralium libro 2. capitulo 28. Non est infelicitas absque delectatione. 40. capitulo. Est et conscientia factiua delectationis. Idem de animalibus libro 7. hystoria capitulo i. Persequuntur omnia eam que est secundum naturam delectationem. Idem pollyticorum libro i. capitulo. 5. Non idem vnicuique delectabile est secundum naturam: sed altera alteris. Libro 2. capitulo 2. Largiri et auxiliari amicis: aut extraneis: aut alteris delectabilissimum est.

Terentius in andria capitulo 3. Ingenium est omnium hominum a labore procliue.

Tullius rethoricorum artis veteris libro 2. capitulo 5. Que rara et ardua sunt ea experiendo pulchra et iocunda hominibus videntur.

Ouidius de remedio amoris libro i. Rura quoque oblectant animos: studiumque colendi. Idem de ponto libro 2. epistola 7. Tempus in agrorum cultu consumere dulce est.

Commented [CN3]: fol.104va

Seneca epistolarum ad lucillum libro 7. epistola 3. Effeminat animos amenitas nimia. Idem de tranquillitate animi: Aliquando insanire iocundum est.

Boetius de consolatione libro 3. capitulo 3. In minimis quoque rebus id appetitur quod habere fruique delectet. Eaque de causa diuitias dignitates: regna: gloriam: voluptates: que desiderant homines quod per hec sibi sufficientiam reuerentiamque potentiam celebritatem letitiam credunt esse ventura.

Cassiodorus epistolarum libro 2. epistola 39. Iuuat videre secretum. Libro 3. epistola 52. Paucos ratio capit aut probabilis oblectat intentio. ad illud potius turba ducitur quod ad remissionem curarum constat inuentum. Expedit interdum desipere. Libro 8. capitulo 19. Nature siquidem insitum est vt bonorum copia plus delectet. 20. epistola. Bonum insolitum plus amatur. Sequenti gaudio confert dulcedinem temporum premissa tristitia. Libro 9. epistola 24. Dulcius accipitur quod sub aliqua dilatione prestatur. Libro 10. epistola 33. Dulcior solet esse gratia post amaritudines expiatis.

Uersificator fabularum esopi 22. fabula. Fitque mali gustu dulcius omne bonum.

De delectatione variationis vel rerum et tedio continuationis: Rubrica 2

Isocrates in exhortationibus capitulo 2. Sactetas omnium mala.

Aristoteles ethicorum libro 7. capitulo 15. et finali. Transmutatio omnium dulcissimum secundum poetam propter malitiam quamdam. Quemadmodum enim homo facile transmutabilis

malus et natura que indiget transmutatione. Idem rethoricorum libro i. capitulo. 20. Transmutare delectabile est: in natura enim fieri transmutare quod enim idem semper excessum facit constituti habitus. vnde dictum est. transmutatio omnium dulce. propter hoc enim et que ad tempus delectabilia sunt.

Commented [CN4]: fol.104vb

Plinius de naturali hystoria libro 12. capitulo 19. Nulla est voluptas que non assiduitati sui fastidium pariat.

Iuuenalis libro 4. satyra 2. Uoluptates commendat rarior vsus.

Cassiodorus epistolarum libro 3. epistola 21. Humane consuetudinis mos est vt variata plus capiant: et quamuis in vsum habeantur eximia fastidium prestat omne quod saciat. Libro 7. epistola 36. In continuatione rerum magnum mentis constat esse fastidium. Dulcedo mellis si assidue sumatur horrescit. Serena ipsa quamuis magno opere desiderentur iugiter adepta sordescunt non immerito: quia cum sit homo commutabilis: nature sue desiderat qualitates. Libro 9. capitulo 22. Copia plerunque solet habere fastidium.

Mattheus vindocinensis in poetria particula 2. capitulo 3. Uarietas tollit fastidium.

Gaufridus in poetria capitulo 49. Plus mellis habet variata voluptas.

De musicali delectatione: Rubrica 3

Aristoteles politicorum libro 8. capitulo 2. Ait et museus esse omnibus hominibus delectabilissimum cantare. Habet musica delectationem naturalem propter quod omnibus etatibus et omnibus moribus vsus ipsius est amicus.

Jesus filius sirach in ecclestastico capitulo 90. Unum et musica letificant cor. Tibie et psalterium suauem faciunt melodiam: et super vtrunque lingua suauis.

Tullius de oratore libro 3. et finali. Due sunt res que permulcent aures: sonus: et numerus. Omnium longitudinum et breuitatum in sonis sicut acutorum grauiumque vocum: iudicium ipsa natura in auribus nostris collocauit. Uersus rationem non est cognitus: sed natura atque sensu: quem dimensuratio docuit quid acciderit ita notatio nature et animaduersio peperit artem.

Macrobius de somno scipionis. Omnis anima musicis somnis capitur. Musica capitur omne quod viuunt. Idem saturnaliorum libro 3. in prohemio. Socrates grecus orator verba prius libera sub numeris prius ire coegit.

Commented [CN5]: fol.105ra

Boetius in musica libro capitulo i. Nulla omnino est etas que a cantilene dulcis: dulci delectatione seiuncta sit. Ut sese corporis affectus habent: ita etiam pulsus cordis motibus incitantur. Cum contico quodam dulcior fit causa deflendi. Et qui suauiter canere non potest: sibi tamen aliquid canit: secundum quod quandam insitam dulcedinem ex animo proferentes quoquomodo proferant delectantur. Manifestum est in bello pugnantium animos tubarum carmine accendi. Non est dubium quin conturbate mentis iracundiam vel nimiam cupiditatem modestior modus possit abstringere. Cum aliquis cantilenam libentius auribus atque animo capit ad illud etiam non sponte conuertitur vt motum quoque aliquem similem audite cantilene corpus efficiat. Ultimo

capitulo. Genus poetarum non potius speculatione ac ratione quam naturali quodam instinctu fertur ad carmen.

Cassiodorus epistolarum libro 2. epistola 40. Musica tristitiam noxiam iocundat: tumidos furores attenuat: cruentam seuitiam efficit blandam: excitat ignauiam soporantem: langore vigilantibus reddit saluberrimam quietem: viciatam turpi amore ad honestum studium reuocat castitate. Sanat mentis tedium bonis cogitationibus semper aduersum: pernitiōsa odia conuertit ad auxiliatricem gratiam: et quod beatum genus curationis est per dulcissimas voluptates expedit animi passiones. Nihil efficacius inuentum est ad permouendum animos quam concaue cytare blanda resultatō: hinc et appellatam existimamus cordam quod facile corda moueat.

De tedio: Rubrica 4

Ouidius de ponto libro 4. et finali epistola 10. Non bene cantantes labor est audire puellas.

Ambrosius de officiis libro i. capitulo 2. Sermo tediosus iras excitat.

Cassiodorus epistolarum libro 6. epistola 12. Imbecillitas humana raro sustinere solet fastidia. Libro 12. et finali epistola 22. Melius est debita frugibus soluere quam eminentium fastidia sustinere.

Commented [CN6]: fol.105rb

De gaudio petulantia et letitia: Rubrica 5

Salomon in prouerbiis capitulo 15. Congaudens exhilarat faciem. Lux oculorum letificat animam. Fama bona impinguat ossa. Idem in ecclesiastice capitulo 3. Cognoui quod non esset melius nisi letari et facere bene in vita sua. 5. capitulo. Hoc itaque mihi visum est bonum vt comedat quis et bibat et fruatur letitia ex labore suo quo laborauit ipse sub sole. 8. capitulo. Ait salomon. Laudauit letitiam: quod non esset homini bonum sub sole: nisi quod comederet et biberet: atque gauderet: et hoc solum secum afferet de labore suo: in diebus vite: quos dedit deus sub sole.

Cronica de nugis philosophorum capitulo 6. scilicet de biante. Bias vnus de septem sapientibus quesitus quid faciens homo letatur: lucrans ait.

Isocrates in exhortationibus capitulo 2. ad finem. Letare quidem in bonis contingentibus: necnon tristare mediocriter in accidentibus malis fiat autem aliis in neutro manifestus.

Aristoteles ethicorum libro i. capitulo 4. Nullus est bonus qui non gaudet bonis operationibus. Libro 7. capitulo 15. et finali. Omnes gaudent aliquo pulmentis et vino et venereis. Libro 10. et finali capitulo i. Uidetur ad moris virtutem maximum esse gaudere quibus oportet odire. Idem rethoricorum libro i. capitulo 20. Quecunq; presentia letificant: et sperantes et memorantes vt in pluribus. Irati sperantes gaudent. Libro 2. capitulo 6. Factis his que volunt gaudent omnes. Idem topicorum libro 3. Magis amamus cum habemus quod non est facile sumere.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 30. Non est oblectatio super cordis gaudium.
Iocunditas cordis hoc est vita hominis. Exultatio viri est longeuitas. 40. capitulo. Unum et
musica letificant cor: et super vtranque dilectio sapientie. Facultates et victus exhilarant cor.

Oratius in epistolis libro i. epistola 19. Oderunt hylares tristem tristisque iocosos.

Tullius tusculanarum questionum libro 4. Eodem vicio est effusio animi in letitia quo in dolore
contractio. Idem de senectute. Conscientia bene acte vite multorumque beneficiorum recordatio
iocundissima est. Idem in ortensio. Indagatio rerum tum maximarum habet oblectationem tum
etiam occultissimarum.

Commented [CN7]: fol.105va

Ouidius de arte amandi libro i. Uina parant animos faciuntque calcaribus aptos. / Cura fugit
multo diluiturque mero. / Tunc veniunt risus: tunc pauper cornua sumit. / Tunc aperit mentes euo
rarissima nostro.

Quintillianus declamationum 5. declamatione. Non debet dolere quippiam qui potest gloriari.
Tunc dolor et cure rugaque frontis abit. Simplicitas artes excutiente deo.

Paulus apostolus in epistola ad romanos capitulo 12. Gaudete cum gaudentibus: flete cum
flentibus.

Seneca tragediarum in hercule furente capitulo 2. Dum fata sinunt / Uiuite leti: properat cursu /
Uita citato: volucrique die / Rota precipitis vertitur anni. Idem epistolarum ad lucillum libro 13.
epistola 103. Naturale est mali sui fine gaudere. Idem de tranquillitate animi. Nihil eque oblectat
animum quam amicitia fidelis et dulcis.

Ualerius maximus libro 4. titulo 2. Sicut placidum mare ex asperso: celumque ex nubilo serenum
hylari aspectu sentitur: sic bellum pace mutatum plurimum gaudii affert.

Stattius alchileidos libro i. Dant gaudia vires / O quantum gaudia forme / Addunt.

Cassiodorus epistolarum libro 4. epistola 20. Bonum insolitum plus amatur. Sequenti gaudio
confert dulcedinem temporum premissa tristitia. Libro 9. epistola 6. Naturalis siquidem cura est
egris dare letitiam: nam fac inualidum gaudere sanatus est. Libro 12. et finali epistola 16. Rex
letus optatur ab omnibus. Libro 11. epistola 18. Piaculum quoddam est inter tristes velle gaudere:
et humanitatis refugit affectum: qui dolorem non sequitur alienum.

Auctor libelli qui dicitur pamphylus capitulo 3 Gaudia semper amat et ludicra verba iuuentus. /
Est cum letitia pulchrior omnis homo. Capitulo 31. Estque serena dies post longos gratior imbres.
/ Est post triste malum gratior alta quies.

Commented [CN8]: fol.105vb

Auctor libelli qui dicitur facetus capitulo 4. Mente quidem leta decoratur florida vita. / Sed per
tristitiam fit cito quisque miser.

Ugo de sancto victore in didascalon libro 2. capitulo. Letitia animus reparatur.

Ricardus iudex venusinus libro de pertractatione nuptiis. Letior omnis homo postquam manducat
habetur.

Prouerbia vulgaria. Caura per norbo se scaueza el corno.

De facetia: Rubrica 6

Ouidius de arte amandi libro i. Si vox est causata: si mollia brachia salta / Et quacunq; potes arte placere stude.

Uersificator fabularum esopi fabula 17. Displicet imprudens tantum placere studet.

De ridiculis et eutrapelia: Rubrica 7

Cronica de nugis philosophorum capitulo 6. scilicet de biante. Bias vnus de septem sapientibus nauigans cum quibusdam impiis periclitante naui ac illis deos inuocantibus silete inquit ne sentiant nos hic nauigantes.

Aristoteles rethoricorum libro i. capitulo 20. Omnis remissio et risus delectabilium est. Necesses est risibilia delectabilia esse: et homines: et verba: et opera. Libro 2. capitulo 16. Iuuenes sunt amatores risus: propter quod et eutrapelli. eutrapelia autem erudita contumelia est. Idem ethicorum libro 4. capitulo 9. Qui neque ipsi dicunt aliquod ridiculum et dicentibus molesti sunt agrestes et duri videntur esse: moderate autem ludentes eutrapelli appellantur.

Tullius de oratore libro 2. Hec ridentur vel sola vel maxime que notant vel signant turpitudinem aliquam non turpiter. Hylaritas beniuolentiam conciliat ei per quem excitata est. Materies ridiculorum omnis est in his vitiis que sunt in vitis hominum.

Ualerius maximus libro i. de neglecta religione. Dionysius genitus siracusis detractationi olypio magis ponderis aureo amitulo quo eum tyrannus hirte manubiis carthaginensium ornauerat: iniectoque laneo palio dixit: estate graue esse aureum amitolum. hyeme frigidum: laneum autem ad vtrunq; anni tempus aptius. Idem dionysius vitas aureas et pateras et coronas que simul acrorum porrectis manibus sustinebantur tollebat et eas se accipere non auferre dicebat: per quem stultum esse argumentando a quibuscunq; bona precamur: ab his porrigentibus nolle sumere. Libro 3. titulo de fiducia sui: Spartanus quidam referente quodam sagittis persarum solem obscurari solere: bene narras inquit. in vmbra enim preliabimur.

Commented [CN9]: fol.106ra

De risu apto atq; inepto: Rubrica 8

Salomon in prouerbiis capitulo 11. Quasi per risum stultus operatur scelus. Idem tonas in ecclesiastice capitulo i. Qui addit scientiam addit laborem. 3. capitulo. Tempus flendi: et tempus ridendi. 7. capitulo. Sicut sonitus spinarum ardentium sub olla sic risus stulti.

Isocrates in exhortationibus capitulo 2. in principio. Risum precipitem non diliges: illud enim amens est.

Jesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 21. Fatuus in risu exaltat vocem suam: vir autem prudens vix tacite ridebit. 27. capitulo. Risus peccantium in delictis peccati.

Catullus capitulo 5. Risu inepto res ineptior nulla est.

Auctor libelli formula honeste vite capitulo 8. Reprehensibilis risus est si immodicus et si pueriliter effusus. Odibilem facit hominem risus: aut superbus: aut elacus: aut malignus: aut furtiuus: aut alienis malis euocatus. Risus sine chachino sit.

De ludo et requie seu ocio laudabili: Rubrica 9

Aristoteles ethicorum libro 4. capitulo 9. Uidetur requies et ludus in vita esse necessarium. Libro 10. et finali capitulo 5. Omnia habentia corpora non possunt continue operari. 7. capitulo. Requei assimilatur ludus. Impotentes continue laborare requie indigent. Reques fit gratia operationis. Speculari possumus continue magis quam operari. Idem pollyticorum libro 8. capitulo i. Laborans indiget requie. Ludus gratia requei est. 2. capitulo. Requei necessaria delectatio est. eius enim que per labores tristitie: medicina quedam est.

Commented [CN10]: fol.106rb

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 11. Filine in multis sint actus tui.

Tullius rethoricorum artis veteris libro i. capitulo. Animus defessus audiendo aut admiratione integratur aut risu nouatur. Idem de oratore libro i. Ocii fructus est non contentio animi sed relaxatio. Liber esse non videtur quando aliquando nihil agit.

Ouidius epistolarum 4. epistola. Quod caret alterna requie durabile non est. Hec reperat vires: fessaque membra nouat. Idem de arte amandi libro 2. Da requiem: requietus ager bene credita reddit / Sed mora vita breuis: lentescunt tempore cure. Idem de ponto libro i. epistola 4. Ocia corpus alunt: animus quoque pascitur illis. / Immodicus contra carpit vtrunque labor.

Seneca epistolarum ad lucillum libro i. epistola i. Exhortationibus labor spiritum exhaurit et inhabilem intentionem ac studiis acrioribus reddit. Epistola 2. Aptari corpus viribus debet: nec plus occupari quam cui sufficere possumus. Libro 19. epistola 11. et finali. Ocium reficit sensus. Idem de tranquillitate animi: Danda est animis remissio meliores acioresque requieti surgunt. Nascitur ex assiduitate laborum animorum hebetatio quedam et languor.

Lex digestorum in prohemio. Quis ludos appellat eos ex quibus crimina oriuntur. Lex digestorum titulo ad legem acquilie l. nam ludus: Ludus pernitiosus in culpa est.

Ualerius maximus libro 8. titulo de ocio. Scipio et lebius clarissimi per vere amicitie tum amoris vinculo tum etiam omnium virtutum inter se iunctum societate vt actuose vite iter equali gradu exequebantur: ita animi quoque remissioni communiter acquiescebant. Constat namque eos caiete et laurenti vagos litoribus conculas et calculos lectitasse. Idque se p. crassus ex socero suo sceuola qui gener lebii fuit audisse sepenumero predicauit. Sceuola optime pilalusisse traditur: quia videlicet ad hoc diuerticulum animum suum forensibus ministeriis fatigatum transferre solebat. Alueo quoque et calculis interdum vacasse dicitur cum bene ac diu iura ciuium cerimoniasque deorum ordinasset. Socrates cui nulla pars sapientie obscurata fuit interposita arundine cruribus suis cum paruulis filioliis ludens ab alciade risus est.

Commented [CN11]: fol.106va

Auctor libelli de formula honeste vite capitulo 2. Non semper in actu sis: sed interdum animo tuo requiem dato. 4. capitulo. Miscebis interdum seriis iocos: sed temperatos: et sine detrimento dignitatis ac verecundie. Quies sine desidia sit.

Cato capitulo 4. Interpone tuis interdum gaudia curis. / Ut possis animo quemuis sufferre laborem.

Cassiodorus epistolarum libro 5. capitulo 10. Incerta est vita eorum qui nimia fatigatione lassantur. Libro 6. epistola 12. Interdum assidui labores et ipsas ingratas faciunt dignitates.

Auctor libelli qui dicitur facetus capitulo 2. Ocia nullus amet nisi sint coniuncta labori. / Nam nimia requie mortificatur homo.

Gualterius de castellione capitulo i. Nam vehemens studii nati elabor afficit artus.

De appetitu et desiderio: Rubrica 10

Aristoteles ethicorum libro i. capitulo 4. Desideratissimum est sanum esse. Libro 8. capitulo 2. Simile appetit simile. 4. capitulo. Natura videtur appetere delectabile. Libro 9. capitulo 4. Unusquisque sibiipsi vult bona. Libro 10. et finali capitulo 5. Uiuere omnes appetunt. Idem magnorum moralium libro i. capitulo 18. Appetitus sunt species tres: concupiscentia: ira voluntas. Idem rethoricorum libro i. capitulo 9. Omnia animalia appetunt delectationem natura. 11. capitulo. Delectationem omnia persequuntur et gratia ipsius delectari: appetunt delectari. 19. capitulo. Irrationabiles appetitus sunt ira et concupiscentia. Idem topicorum libro 3. Omnia bonum appetunt. Idem de anima libro 3. Appetitus omnis propter aliquid est. Idem de plantis particula i. Desiderium non est nisi ex sensu.

Terentius in andria capitulo 7. Quoniam non potest fieri id quod vis: id velis quod possis.

Commented [CN12]: fol.106vb

Tullius de natura deorum libro 3. et finali. Appetuntur que secundum naturam sunt: declinantur contraria.

Ouidius de ponto libro i. epistola 3. Nescio qua natali solum dulcedine cunctos. / Ducit et immemores non sinit esse diu.

Paulus apostolus epistola 2. ad timotheum capitulo 2. Iuuenalia desideria fuge.

Seneca tragediarum in octauia capitulo 8. Querit leti quisque sibi fugam. Idem declamationum libro 4. in prohemio. Acutior est cupiditas ignota cognoscendi quam nota repetendi. Libro 7. capitulo 7. Affectus non sustinet moram. Idem in prouerbiis. Etiam celeritas in desiderio mora est.

Ambrosius de officiis libro i. capitulo 23. Nationi appetitus non reluctetur. 26. capitulo. Omnibus animantibus innascitur primo vitam tueri: cauere que noceant: expetere que prosint.

Boetius de consolatione libro i. capitulo 7. Precipua est mortalibus cura vite retinendum. Libro 2. capitulo 20. Omne animal tueri salutem laborat: mortem vero perniciemque deuitat.

Cassiodorus epistolarum libro i. epistola 21. Unicuique patria sua carior est. Libro 4. epistola 5. In qualitate desiderii potest mens honesta cognosci. Libro 7. epistola 37. Dum sit homo commutabilis: nature sue qualitates habere desiderat. Libro 8. epistola 14. Bonum quippe amissum dum queritur plus amatur. 31. epistola et antepenultima. Cui non affectuosum sit cum paribus miscere sermonem. Libro 9. epistola 9. Magnum est gaudium desiderata cepisse. Sed in huiusmodi rebus gratior est plerunque amenitas oculi quam vtilitas captionis. Libro 11. epistola 16. Bonarum rerum celerrima semper desideratur agnitio.

Andreas ad gualterium de amore libro i. Quod quis toto mentis affectu desiderat semper timet ne aduerso turbetur euentu.

De concupiscentia voluptatum: Rubrica 11

Aristoteles rethoricorum libro i. capitulo i. Concupiscentia est delectabilis appetitus. Libro 2. capitulo 26. Iuuenes sunt concupiscitui et quales facere quecunque concupiscunt. Iuuenes sunt cito saturabiles ad concupiscentias et vehementer quidem concupiscunt: celeriter autem desinunt. Idem polytitorum libro 2. capitulo 4. Infinita est natura concupiscentie ad cuius repletionem multi viuunt. Idem ethicorum libro 3. capitulo 11. et finali. Quemadmodum puerum oportet secundum preceptum pedagogi viuere: sic et concupiscibile consonare rationi. Libro 7. capitulo 10. Non hominis qui propter delectationem aliquid operatur est intemptatus siue prauus siue incontinenens: sed qui propter turpem. Idem topicorum libro 3. Magis iuuenes quam senes a concupiscentiis molestantur. Idem elenco libro i. Concupiscentia est appetitus delectationis.

Terentius in heautontimerumenon capitulo 4. Animus vbi semel se cupiditate deuixerit mala: necesse est consilia consequi consimilia.

Salustius in iugurtino. Natura mortalium preceptus est ad explendam animi cupiditatem. Animo cupienti nihil satis festinatur.

Tullius rethoricorum artis veteris libro i. in prohemio. Ceca ac temeraria est dominatrix animi cupiditas. 11. capitulo. Genus est nimirum omnium libidinum cupiditas. Idem rethoricorum artis noue libro 2. capitulo 6. Stultitia parit immensas cupiditates. Idem de fine bonorum et malorum libro i. Cupiditates sunt insaciabiles. Ex cupiditatibus odia desidia discordie seditiones bella nascuntur. Inanium cupiditatum nec modus vllus nec finis inueniri potest. Idem tusculanarum questionum libro 3. Animus eger vt ait ennius semper errat: neque pati neque perpeti potest: cupere nunquam desinit. libro 5. et finali. Stultitia etsi adepta est quod concupiuit: nunquam tamen se satis consecutam putat.

Ouidius de ponto libro 4. et finali epistola 15. et penultima. Res immoderata cupido est.

Quintillianus declamationum 13. declamatione. Non fouet non nutrit ardorem concupiscendi vbi frui licet.

Seneca epistolarum ad lucillum libro 3. capitulo i. Nos ceca cupiditas nocitura certe nunquam sanatura precipitat. 5. epistola. Altera cupiditas ex fine alterius nascitur. Libro 19. epistola 4. Nemo est cui felicitas sua etiam si cursu eueniat satisfaciatur. Idem de clementia. Facit quidem

Commented [CN13]: fol.107ra

Commented [CN14]: fol.107rb

nimis auidos nimia felicitas: neque tam temperate sunt cupiditates vnquam vt in ea quod contingit desinant. Idem de breuitate vite. Precipitat quisque vitam suam: et futuri desiderio laborat presentium tedio. Maximum viuendi impedimentum expectatio que pendet ex crastino.

Ualerius maximus libro 7. titulo 2. in fine. Turpiter aliquid concupiscere et in eo perseueranter morari exitio ea dulcedo est.

Ambrosius de officiis libro i. capitulo 19. Quam multos etiam fortes illecebra decepit.

Boetius de consolatione libro 2. capitulo 4. Quesita vorans seua rapacitas alios pandit hyatus.

Hugo de sancto victore compendii philosophie libro i. capitulo 2. Concupiscentia est immoderatus appetitus sensualitatis: excedens modum rationis.

De voluptate seu libidine: Rubrica 12

Cronica de nugis philosophorum capitulo 7. scilicet de cleobolo. Cleobolus vnus de septem sapientibus: dicebat dominandum esse voluptati. 8. capitulo scilicet de periandro. Periander corinthius vnus de septem sapientibus dicebat voluptates corruptibiles.

Ouidius in epistolis 2. epistola. Sperne voluptates nocet cepta dolore voluptas.

Tullius de fine bonorum et malorum libro i. Eos et accusamus et iusto odio dignos diximus qui blanditiis presentium voluptatum deleniti atque corrupti quos dolores et quas molestias excepturi sunt cupiditate non prouident. Libro 2. Uoluptatem hanc esse sentiunt omnes qua sensus accipies mouetur et iocunditate quadam perfunditur. Stoici diffiniunt voluptatem esse sublationem animi sine ratione opinantis se magno bono frui. Cui in voluptate summum bonum est huic omnia sensu non ratione sunt iudicanda. Maximas virtutes iacere omnes necesse est voluptati dominante. Idem de senectute. Libidinosa et intemperans adolescentia effectum corpus trahit senectuti. Impedit voluptas **consilium**: rationi inimica est: et mentis vt ita dicam perstringit oculos: nec habet vllum cum virtute commercium. Diuinus plato escam malorum appellat voluptatem quod ea videlicet homines capiantur vt pisces. Idem de oratore libro i. In summa vbertate inest luxuries.

Ouidius de arte amandi libro i. Cure est sua cuique voluptas. Idem methamorphosis libro 7. Nulla est sincera voluptas. / Sollicitumque aliquid letis interuenit.

Quintilianus declamationum 2. declamatione. Nos in bello quoque vicia pacis sequuntur: et delicati sumus etiam miseri.

Seneca epistolarum ad lucillum libro 3. capitulo 3. Uoluptates in tormenta vertuntur: epule cruditatem afferunt: ebrietates neruorum torporem tremoremque libidines pedum manuum articularum omnium deprauationes. Libro 7. epistola 3. Effeminat animos amenitas nimia. 5. epistola. Debilitatem nobis indicere delitie. Libro 17. epistola 2. Omnibus crimen suum voluptati est. Libro 19. epistola 4. Uoluptati indulgere initium omnium malorum est. Idem de beata vita. Uoluptas cum maxime delectat extinguitur: non multum loci habet. Uoluptas non est merces nec causa virtutis: sed accessio.

Commented [CN15]: fol.107va

Ualerius maximus libro 2. titulo i. Omnium animalium naturalis dulcedo vite multa et facere et pati turpiter cogit. Libro 9. titulo de luxuria et libidine. Campana luxuria per quam utilis romane ciuitatis fuit. Inuictum enim armis hannibalem illecebris suis complexa vincendum romano militi tradidit. Illa vigilantissimum ducem illa exercitum accerrimum dapibus largis abundanti vino vnguentorum fragrantia veneris vsu lasciuiore ad somnum et delitias euocauit. Ac tum demum fracta et concussa punica feritas est cum seplasia ei albana castra esse ceperunt. Quid ergo his viciis fedius? quid etiam damnosius? quibus virtus atteritur: victoriae relanguescunt: sopita gloria in infamiam conuertitur: **animique** pariter et corporis vires expugnantur: a deo ab hostibus an ab illis capi perniciosius habendum sit. Xerses opum regiarum ostentatione eximia eo vsque luxuria gaudens: vt edicto premium ei poneret qui notum voluptatis genus reperisset: dum delitiis nimis captus esset amplissimi imperii ruina euasit. Populus egyptie gentis ductu archiali regis sui aduersus aulum gabinium menibus vrbis egressus cum castra vallo atque fossa cingere iuberetur vniuersus succlamabat vt id opus publica pecunia faciendum locaretur. Quapropter delitiis tam enerues animi spiritum exercitus romanus sustinere non potuerunt.

Commented [CN16]: fol.107vb

Cato capitulo 2. Pauca voluptati debentur: plura saluti.n

Boetius de consolatione libro 3. capitulo 20. Falax ligat improbis cathenis. / Terrenas habitans libido mentes.i

Andreas capellanus innocentii iiii. pape libro de dissuasionem vxorationis. Uir in molliciem abiens deiuratur.

De continentia et incontinentia cupiditatum et voluptatum: Rubrica 13

Plato in phedrone. Recte philosophantes abstinent ab eis que secundum corpus sunt concupiscentiis omnibus.

Aristoteles ethicorum libro 5. capitulo 7. Incontinens quod non existimat oportere operari operatur. Libro 7. capitulo 6. Continentia et incontinentia est contra concupiscentias et delectationes corporales. 9. capitulo. Acuti et melancolici secundum eis innatam incontinentiam sunt incontinentes. hi quidem enim propter vehementiam non expectant rationem: propter sequentes esse fantasie. 11. capitulo. Non omnis qui propter delectationem aliquid operatur: est intemperatus siue prauus siue incontinens: sed qui propter turpem. Idem magnorum moralium libro i. capitulo 19. Incontinens sciens quod hoc praua sunt tamen operatur: et secundum concupiscentiam operatur. Libro 2. capitulo 12. Continens est desiderans quod non: operans autem propter rationem. 18. capitulo. Continentia **est** contra delectationes: et continens qui continet a delectationibus. Idem polytorum libro 2. capitulo 4. Magis oportet concupiscentias regulare quam substantias.

Commented [CN17]: fol.108ra

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 18. Post concupiscentias tuas non eas. Si prestes anime tue concupiscentias eius: faciet te in gaudium inimicis tuis.

Tullius rethoricorum artis veteris libro 2. capitulo 9. Continentia est virtus per quam cupiditas consilii gubernatione regitur. Idem de officiis libro 2. capitulo 53. Efficiendum est vt appetitus

obediant rationi. 57. capitulo. Uictus cultusque corporis et ad valitudinem referantur et ad vires non ad voluptatem. Idem tusculanarum questionum libro i. Magni ingenii est reuocare mentem a sensibus: et cogitationem a consuetudine abducere. Libro 5. et finali. Nunquam finem inueniet libido. Sapientia semper eo contenta est quod adest.

Ouidius epistolarum 17. epistola. Est virtus placitis abstinuisse bonis. Idem de remedio amoris libro i. Damnosas homines compescite curas.

Quintillianus declamationum 14. declamatione. Non sine aliquo morsu resilitur a malis que voluptates tenuerunt.

Frontinus libro i. titulo 7. Alexander macedonensis per deserta aphyricae itinera grauissima siti cum exercitum affectus: oblatam sibi a milite in galea aquam spectantibus vniuersis effudit viliter: exemplo temperantiae quasi communicare voluisset.

Ualerius maximus libro 4. titulo i. Multo seipsum quam hostem superare operosius est.

Auctor libelli de formula honeste vite capitulo 2. Non tibi dabis liberos: sed circumspecies quod eundem sit vel quousque. 4. capitulo. Continentiam si diligis circuncide superflua: et in artum desideria tua constringe. Considera tecum quantum natura appetat: non quantum cupiditas poscat. Impone concupiscentiae frenum: omniaque blandimenta que occulta voluptate animum trahunt recide.

De oculorum continentia et incontinentia: Rubrica 14

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 9. Ex circumspectione mulieris concupiscentia quasi exardescit. Speciem mulieris aliene multi admirati reprobi facti sunt.

Ouidius de remedio amoris libro 2. et finali. Non facile est taurum visa retinere iuuenca. / Fortis equus vise semper adignit eque.

Quintillianus declamationum i. declamatione. Oculi sunt tota nostra luxuria hii nos quotidie in omnia precipitant vicia: mirantur: adamant concupiscunt.

Seneca de remediis fortuitorum capitulo 15. Non intelligis partem innocentie cecitatem: hinc quidem mundum et que mundi sunt vident oculi: hinc adulterium monstrant: hinc incestum: hinc domum quam concupiscant: hinc urbem: irritamenta viciorum: duces scelerum.

Cecilius firmianus de beata vita libro 4. Libido aspectu maxime concitatur.

Isidorus soliloquiorum libro 2. capitulo 9. Oculi prima tela libidinis sunt. Uisio est prima concupiscentia mulieris. Aspectus amoris vincula nutrit.

Commented [CN18]: fol.108rb

De fame siti seu ieiunio morali consideratione: Rubrica 15

Iob hystoria capitulo 6. Nunquid rugiet onager cum habuerit herbam: aut mugiet bos cum ante se presepe plenum habuerit.

Ouidius de fastis libro 4. Absit iniqua fames.

Quintilianus declamationum 10. declamatione. Non habitant vna pudor et fames. Fames aspera vitalia haurit: precordia carpit: animi tormentum: corporis tabes: magistra peccandi: durissima necessitatum: deformissima malorum: hec ad humile opus nobiles manus mittit: hec alienis pedibus mendicantes prosternit: hec sepe sociorum fidem fregit. Hec venena populis: publice dedit: hec in paricidium pios egit.

Lucanus libro 3. Nescit plebs ieiunia timere.

Statius thebiados libro 10. Nil non ausa fames.

Uegetius de re militari libro 3. titulo 3. **Ferro** seuior fames est. 9. titulo. Fames vt dicitur intrinsecus pugnat: et vincit sepius sine ferro. Libro 4. in finem in epilogo. Malis emergentis inopie potus: aut cibi nulla arte succurritur.

Commented [CN19]: fol.108va

Cassiodorus epistolarum libro 3. epistola 40. Inualidus est siquidem ieiunus defensor: nec animus ministrat audaciam cum virtus corporeo fuerit robore destituta. Libro 4. epistola 5. Famis totum solet contemnere vt suam necessitatem possit explere. 12. epistola. Disciplinam non potest seruare ieiunus exercitus: dum quod deest semper presumit armatus.

Ricardus iudex venusinus libro de pertractatione nuptiis capitulo 28. Ieiunus leuiter subitam scandescit ad iram.

Prouerbia vulgaria. Can per fame fa forame.

De saturitate crapula et ebrietate: Rubrica 16

Iob hystoria capitulo 6. Anime esurienti etiam amara dulcia videntur.

Salomon in prouerbiis capitulo 20. Tumultuosa res est ebrietas. 22. capitulo. Qui diligit epulas in egestate erit. Qui amat vinum et pinguia non ditabitur. 27. capitulo. Anima saturata calcabit fauum: anima esuriens et amarum pro dulci sumit. 31. capitulo et finali. Nullum secretum vbi regnat ebrietas. Idem in ecclesiastice capitulo 5. Dulcis est somnus operanti: siue parum: siue multum comedat. Saturitas autem diuitis non sinit dormire eum.

Isaias propheta 5. capitulo. Ue qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam. Ue qui potentes estis ad bibendum vinum: et viri fortes ad miscendam ebrietatem.

Cronica de nugis philosophorum capitulo 9. scilicet de anacharsi. Anacharsis schita quesitus quo pacto quis non fiet amator potus. Si pre oculis inquit habet inebriantium se turpitudines. 17. capitulo scilicet de socrate. Socrates dicebat comedentem affectantem nequaquam egere coedulii. Idem dicebat alios quidem homines viuere vt manducent: se vero manducare vt viuat.

Aristoteles polyticorum libro 2. capitulo 9. et finali. Plures iniuriantur ebrii quam sobrii.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 19. Operarius ebriosus non locupletabitur. Unum et mulieres apostatare faciunt etiam sapientes: et arguunt sensatos. 31. capitulo. Quam sufficiens homini erudito vinum exiguum. Uigilia et cholera et tortura viro infrunito. Somnus sanitas in homine parco: dormiet vsque mane et anima illius cum ipso delectabitur. Diligentes id est amicos in vino noli prouocare: multos enim exterminauit vinum. Unum corda superbiorum arguet in ebrietate potatum. Exultatio est anime et cordis vinum moderate potatum. Sanitas est anime et corporis sobrius potus. Unum multum potatum irritationem et iram et ruinas multas facit. 37. capitulo. Noli auidius esse in omni epulatione: et non te effundas super omnem escam. in multis enim escis erit infirmitas: et auiditas appropinquabit vsque ad coleram. Propter crapulam multi obierunt: qui autem abstinens est adiciet vitam.

Commented [CN20]: fol.108vb

Oratius in sermonibus libro i. sermone 7. Nempe inamarescunt epule sine fine petite.

Tullius de fine bonorum et malorum libro 2. Socrates dixit esse condimentum esce famem: potionis sitim. Idem rethoricorum artis noue libro 5. capitulo 28. Esse oportet vt viuas non viuere vt edas.

Iohannes in euangelio capitulo 2. Omnis homo primum bonum vinum ponit: et cum inebriati fuerint tunc id quod deterius est.

Paulus apostolus in epistola ad ephesios capitulo 4. Nolite inebriari vino in quo est luxuria.

Seneca epistolarum ad lucillum libro 3. epistola i. Copia ciborum subtilitas impeditur. Libro 4. epistola 3. Epule cruditatem afferunt: ebrietates neruorum torporem tremoremque. Libro 7. epistola 7. Non fames nobis ventris nostri magni constat: sed ambitio. Libro 11. capitulo i. Omne vicium ebrietas et intendit et detegit: obstante malis conatibus verecundiam remouet. Ubi possedit animum nimia vis vini quicquid mali latebat emergit. Libro 20. et finali capitulo 5. Merum quod natat cibo penetrat ad neruos. 6. epistola. Malum panem inquis expecta bonus fiet. Etiam illum tenerum tibi et siligineum famis redit: ideo non est ante edendum quam illa imperet.

Commented [CN21]: fol.109ra

Lucanus libro 4. O prodiga rerum. / Luxuries nunquam paruo contenta paratu. / Et quesitorum terra pelagoque ciborum / Ambitiosa fames: et late gloria mense. / Discite quam paruo liceat producere vitam: / Et quantum natura petat.

Martialis cocus libro vndique suscepto capitulo 3. Gumonius quando satur est ieiunia laudat: / Quando ieiunus prandia magnificat. / Esca quidem simplex sanum facit atque valentem. / Sed sanum multi destituere cibi.

Auctor libelli de formula honeste vite capitulo 4. Ede citra edulitatem. bibe citra ebrietatem. Uictus tibi ex facili sit: nec ad voluptatem: sed ad cibum excede. Palatum tuum fames excitet non sapores. Non erit tibi scurrilitas: sed grata vrbanitas.

Macrobius saturnaliorum libro 2. capitulo 18. Socrates: dicebat multos homines propterea velle viuere vt ederent et biberent: se bibere et esse vt viueret. Libro 3. questione i. Quis ambigit eum qui diuerso vino vtitur in repentinam eruere ebrietatem. Ipsa immoderatio ciborum ex varietate

nascitur titilante gula: et ad sumendum plura quam necessitate prouocante. 2. questione. Qui fuerint crebro ebrii cito senescunt.

Cato capitulo i. Tempera te vino. Capitulo 3. Que potu peccas ignoscere tu tibi noli. / Nam crimen nullum vini est: sed culpa bibentis.

Bernardus libro de improbatione vitiorum capitulo 7. Utilis est homini potu et esca breuis. / Sobrietas homines absque dolore nutrit.

Gualterius de castellione libro i. Si baccho venerique vaces qui cetera subdis. / Subiuga venisti: periit delata vacatis / Libertas animi. / Rixas et bella moueri / Imperat et suadet: rationis vile sepulchrum / Ebrietas.

Ricardus iudex venusinus libro de pertractatione nuptiis capitulo 28. Baccho plenus egens regna tenere putat / **Letior** omnis homo postquam munducat habetur. / Letior ex leto pectore sermo venit.

Commented [CN22]: fol.109rb

De conuiuiis: Rubrica 17

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 30. Splendidum cor bonum in epulis: epule enim illius diligentes fiunt.

Seneca epistolarum ad lucillum libro 3. capitulo 5. Ante circumspectum est cum quibus edas et bibas: quam quid edas et bibas.

Ualerius maximus libro 2. titulo de institutis antiquis. Conuiuium solemne maiores instituerunt: idque charistiam appellauerunt: cui preter cognatos et affines nemo interponebatur vt siqua inter necessarias personas querela esset orta apud sacra mense et inter hylaritatem animorum a fautoribus concordie tolleretur.

Macrobius saturnaliorum libro 3. in prohemio. Solet cibus cum sumitur tacitos efficere: potus loquaces.

Cato capitulo i. Conuiuare raro. / Pauca in conuiuio loquere. Capitulo 2. Dapsilis interdum notis et caris amicis. Capitulo 4. Inter conuiuas fac sis sermone modestus. / Ne dicare loquax dum vis vrbanus haberi.

Uersificator fabularum esopi 22. fabula. In tenui mensa satis est immensa voluptas. / Nobilitat nanque frons generosa dapes. / Emendet conditque cibos clementia vultus. / Conuiuiam saciat plus dape frontis honor. / Tristitior immensas pauperat vsus opes.

De mundana pulchritudine et ornatu humani corporis: Rubrica 18

Salomon in prouerbiis capitulo 15. Cor gaudens exhylarat faciem.

Ouidius epistolarum 4. epistola. Sit procul a nobis iuuenes vt femina compti. / Fine coli modico forma virilis amat. Idem de arte amandi libro i. Mundicie placeant. / Careant rubigine dentes. / Nec vagus in laxa pes tibi pelle natet / Nec male deformet rigidos tonsura capillos / Sit coma sit tota barba resecta manu. / Ut nil emineat: et sint sine sordibus vngues. / Inque caua nullus stet tibi nare pilus. / Nec faciem nec te pigeat lauare capillos / Et teretes digitos: exiguumque pedem. Libro 3. et finali. Mundiciis capimur. / Multaque dum fiunt turpia facta placent. / Si breuis es: sedeas: ne stans videare sedere. Idem methamorphosis libro 9. Cupit formosa videri. / Et si qua est illic formosior inuidet illi. Idem de fastis libro i. Fastus inest pulchris: sequiturque superbia formam. Idem de medicamine faciei. Nec tamen indignum sit nobis cura placendi: / Munditia crimina nulla meret. / Est etiam placuisse sibi quecunque voluptas. / Uirginibusque cordi grataque forma sua est. / Formam populabitur etas. / Et placitus rugis vultus aratus erit.

Statius achiledos libro i. O quantum gaudia forme / Addunt.

Marcialis cocus libro vndique suscepto capitulo 3. In tenui panno nulla est facundia peleo. / Sed cum purpurea veste parata venit.

Cato capitulo i. Mundus esto.

Uersificator fabularum esopi 35. fabula. Fuscatur et extinguit cordis caligo nitorem / Corporis.

Auctor libelli qui dicitur pamphylus capitulo 2. Concipit ingentes animos fiducia forme. / Inque modum domina non sinit esse suam. Capitulo 3. Est cum letitia pulchrior omnis homo.

Auctor libelli qui dicitur facetus capitulo 2. Exornet corpus ne contemnatur ab vilo. / Sit bene vestitus cui non sit parua suppellex. Capitulo 4. Cesarie longa sit turpis forma virilis. / Ut motus facilis nesciat esse grauis. / Uestes non longas iuuenilis diligit etas. / Non natet in caligis vel crus vel pes iuuenilis / Et subtalaris formet vtrunque pedem.

Auctor libelli qui incipit grecorum studia. Cultu forma nitet: hac femina dote superbet / Hac placet illa viro: plus tamen illa sibi.

Prouerbia metrica extraordinem librorum vagantia. Uir bene vestitus pro vestibus esse peritus / Creditur a mille: quamuis idiota sit ille / Hunc homines honorant quem vestimenta decorant.

Commented [CN23]: fol.109va

Commented [CN24]: fol.110rb